



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 61. An sit peccatum scandali suadere minus peccatum illi, qui alioquin facturus est majus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

Unde patet facilius dari scandalum ab iis, qui sunt in magna auctoritate, vel pietatis existimatione, quam ab aliis. *Con. di. 32. num. 33.*

## A D D E N D A.

*Q. 61. An sit peccatum scandali suadere minus peccatum illi, qui facturus est alioquin majus: R: Plures sunt sententiae: Valent. & Sa apud Mendo in Stat. d. 1. q. 18. videntur absolute dicere esse peccatum scandali, quia minus peccatum est peccatum, ergo illud suadere est intrinsece malum. Laym: Dicast: Arr: Mendo aliique cum Gobat in Quin. t. 5. c. 13. n. 24. distinguunt, & dicunt licere, si minus peccatum includatur in majori, sicuti fornicatio includitur in adulterio, vulneratio in occisione, furtum centenorum in furto millenorum: & in ejusmodi casibus dicunt licitum suadere minus, quia non suadetur, ut fiat peccatum vel pars peccati, sed tantum suadetur, ut aliqua pars peccati omittatur, si homo non possit a toto abduci. Econtra si illud minus, quod suadetur, sit plane diversum, nec formaliter nec virtualiter inclusum in majore, dicunt esse illicitum: sic si homini volenti occidere suadeas furari, non suades, ut omittat partem sui peccati, cum furtum non includatur nec formaliter nec virtualiter in homicidio; neque etiam facis, ut peccatum homicidii fiat minus, sed ut ex toto fiat peccatum aliud plane diversum, nempe furtum, ergo reipsa es auctor hujus furti. Sanch. de Matr. l. 7. d. 11. n. 15. citans alios gravissimos Auctores, Steph: t. 3. d. 3. n. 79. Carden. in 2. crisi d. 23. n. 148. absolute dicunt licitum esse suadere minus, quamvis sit diversum; pro qua sententia alios*

alios plures citant *Mend.* q. 18. *Castrop.* t. 6. d. 6. p. 6. *Gob.* n. 25., vocans practicè probabilem, *Dian.* p. 5. t. 7. R. 18. vocans etiam probabilem; & rationes sunt, imprimis quia minus peccatum censetur includi in majori, licet sit diversæ rationis, quia majus habet malitiam minoris, & aliquid ampliùs: deinde quia non suadetur malum absolutè, sed sub conditione, si esset facturus majus; præterea non suadetur ut malum est, sed ut est impeditivum majoris mali: denique suadetur commutatio majoris mali in minus, si-ve electio minus mali præ majori, quæ bona est: consentit *Con.* de act: supern: d. 3. n. 48. *Castrop:* supra his non acquiescit, sed dicit hoc modo esse distinguendum; si ille, qui paratus est facere majus malum, simul cogitet facere minus, tum licebit suadere solum minus, quia hoc tantum est retrahere voluntatem à majori malo: si autem non cogitet facere minus malum, non licebit, quia suadens verè esset causa hujus minoris mali.

223 Omnes hæ sententiæ sunt probabiles, & sententia *Laym:* videtur probabilior, ad quam accedit sententia *Castropalai*: nihilominus sententia *Sanchez* etiam est probabilis.

224 *Q. 62.* An ergo etiam sine periculo scandali sit licitum aliquem inducere ad ebrietatem, ut sic impediatur aliud majus peccatum. R. Secundum *Laym:* & alios hoc est illicitum, quia nunquam licet inducere ad actionem, quæ intrinsecè mala est: è contrà secundum *Sanch.* & alios, & expressè secundum *Less:*, cujus sententiam *Diana*, *Mend.*, *Gob.* & alii censent probabilem, est licitum: fatenturque *Laym.* & *Dicast.* licitum esse tali homini offerre vinum fortissimum, cujus vires ne-  
sciat,

sciat,  
omit  
cusam  
nes,  
justè  
tit, f  
cet.

*Q.*  
suade  
vel pe  
deter  
vel p  
retur  
& po  
non  
Paul  
fure  
mal  
hono  
quo  
ferè  
re c  
perf  
hæc  
ad su  
prà  
S  
qual  
deter  
Tam  
pecc  
fure  
ab a  
mic